DISPVTATIO INAVGVRALIS MEDICA
SISTENS AEGRVM
ASTHMATE STOMACHALI LABORANTEM
QVAM
DEO PROPITIO
CONSENSV ET AVTORITATE ILLVSTRIS MEDICORVM IN ALMA JVLIA ORDINIS
PRÆSIDE
ALEXANDRO CHRISTIANO GAKENHOLZ,
MED. D. EJVSDEMQVE PROFESSORE PVBLICO ET ORDINARIO, FACVLTAT. MED. H. T. DECANO SPECTABILI,
DOMINO FAVTORE, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SVO ÆTATEM DEVENERANDO,
PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES INSIGNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQVENDI
PVBLICO ET SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI
SVBJICIT
A. & R.
JOHANNES HENRICVS DENCKER, Helmſtad.
PRACTICVS GARDELEG.
IN MAGNO JVLEO
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
AD DIEM OCTOBR. MDCCX.

HELMSTADII,
TYPIS GEORG. WOLFGANGI HAMMII ACAD. TYPOGR.

PER-ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO DOMINO

DOMINO

OTTONI LVDOVICO a VELTHEIM

HÆREDITARIO IN OSTRAV GLENTORF HARPKE &c.

DOMINO PATRONO SVO GRATIOSISSIMO

IN

GRATI ANIMI TESTIFICATIONEM

PRO

MAXIMIS BENEFICIIS EXHIBITIS

CVM VOTO OMNIGENAE FELICITATIS

HANC DISPVTATIONEM
INAVGVRALEM

EA QVA PAR EST ANIMI
SVBMISSIONE

OFFERT ET DEDICAT

J. H. DENCKER.

Jehov

Jehova Juva.

Proœmium.

IN cathedra multi curantur morbi, ad le- ctum vero pauci. Illi enim qui in ſcholis medicis ſalutarem noſtram ac prope divinam, ſanitatisque humanæ præſidem, agitant Artem, in id ſedulo incumbunt, ut animis filiorum artis nonſolum theoreticæ Medicinæ præcepta numeris omnibus abſoluta inculcent, ſed & quomodo ægrotantibus ſubveniendum, curationesque recte inſtituendæ ſint diligenter & abunde ſatis pertractent. Proponuntur tot Caſus, adducuntur tot Obſervationes, inveniuntur remedia ratione & experientia comprobata & confirmata, quæ omnia ad ſalutem ægrotantium ſpectare videntur, & ab Antiſtitibus & Doctoribus Medicis in publicis privatisque lectionibus cum auditoribus communicantur. Accedamus vero ad lectum ægroti, applicentur illa, quæ ſtudioſe in commentarios congeſſimus; hoc opus, hic labor profecto!

 Ratio

Ratio quidem obſervat quæ obtingunt in eodem ſubjecto iisdemque circumſtantiis, *vid. Wedel. in amœnit. mat. med. pag. 15.* Experientia vero rariſſime in ægrotis uno eodemque licet morbo decumbentibus, omnes circumſtantias deprehendit easdem. Quapropter ratio etiam ſubtiliſſima, ab experientia limitari & confirmari, uti omnis experientia ex ratione judicari debet. *id. Aut. l. c.* Ex hoc vero demum oritur Analogia Medici judicioſa, quam ipſam, uti firmiſſimum fulcrum & tutiſſimum in debellandis morbis præſidium, ſaniores Practici uno ore agnoſcunt. Talis enim analogia eſt quaſi comparatio, quæ illud quod dubium eſt ad aliquid ſimile refert, & Medico practico, ad applicationem præceptorum artis & remediorum, optume inſervit. Quem in finem Caſum in Praxi mihi ipſi oblatum, ſpeciminis loco hic proponendum conſtitui, ex cujus reſolutione illa quæ antea dicta ſunt, clarius illuceſcent, ac confirmabuntur.

ASTHMA STOMACHALE.

Caſus.

Paſtor quidam eccleſiæ paganæ, obeſæ & hypochondriacæ conſtitutionis, in aëre frigido & pluvioſo iter faciens, non multo poſt dolorem ſentit gravativum in hypochondriis, quæ ipſa ſenſim inflantur, ceſſatque creſcente malo appetitus. Accedit

cedit magna reſpirandi difficultas, cum anxietate præcordiorum & tuſſi frequenti. Rejicit interdum ſcreatu viſcidam materiam ingrati ſaporis. Alvus eſt ſiccior, urina turbida. Sumpſit ab alio Medico propinata ipſi medicamenta pectoralia ad nauſeam usque, e. g. Electuaria contra tuſſim, decocta, pulveres pectorales, &c. à quorum uſu vero malum incruduiſſe ægrotus refert.

RESOLUTIO.

§. I.

Difficilis reſpirationis cauſam non ſemper in pulmonibus & thorace latere, ſed eandem viſcera abdominis interdum obſidere, ibique quærendam eſſe, quotidiana experientia comprobatum, innumerisque Medicorum obſervationibus confirmatum legimus. Idiopathice enim pulmones & pectus afficiuntur in aſthmate mere pneumonico: à ductibus aëriferis obſtructis aut non ſatis patentibus, in convulſivo, ob defectum vel culpam in organis motoriis. Horum aſthmatum differentiæ & ex quibus ſignis colligi posſint, paſſim apud autores inprimis *Lommium obſerv. medicinal.* legi merentur. Sufflaminatur etiam reſpi-

ratio

ratio non parum, ſi ſymphatice in conſenſum rapiuntur organa illa reſpirationi inſervientia, ideoque cauſa læſæ reſpirationis in alio viſcere labe infecto, v. g. hepate, liene, ventriculo &c. interdum quærenda, à qua varii generis aſthmata oriuntur, quorum recenſionem inter alios facit numeroſiſſimam *Bonetus in Anatom. pract. libr. 2. de affect. pect. item Manget. in Biblioth. medic. pract. de vitiis reſpirat. Riverius in prax. med. Capite de morb. thorac.*

§. II.

Quod itaque ad Caſum noſtrum attinet, ex relatione ægroti & notatis circumſtantiis merito concludendum, illum laborare Aſthmate ſtomachali, quod ut plurimum deſcribitur, quod ſit difficultas reſpirandi cum tuſſi, ventrisque inflatione orta à collecta in ventriculo viſcida quadam materia. Quæ omnia cum cæteris ſignis in caſu propoſitis & collective ſumptis, diagnoſin hujus aſthmatis ſtomachalis nobis exhibent.

§. III.

Sedem igitur hujus mali & inde producti aſthmatis ventriculo adſcribendam eſſe evidentiſſime conſtat. *Latet enim nonnunquam, inquit Dolæus in Encyclopæd. med. capit. de aſthmat: magna viſcidæ pituitæ moles in ventriculo, unde ſæpius inflationes ventriculi & inteſtinorum, ſpasmi fibrarum nervearum & per conſequens aſthma ſequitur.*

§. IV.

Ex his porro cauſam formalem hujus aſthmatis elicere poſſumus, motum nimirum diaphragmatis impeditum,

peditum, à quo poſtmodum difficultas reſpirandi magna ex parte non potuit non oriri. Cauſa mediata vero colluviei viſcidæ in ventriculo ex vitiata concoctione collectæ adjudicanda eſt. Læſæ vero concoctionis cauſam ex abuſu rerum non naturalium petendam eſſe patet, unde poſtea omnis generis cruditates variique humores peccantes in corpore generantur. Velificatur vero admodum huic malo inprimis in noſtro ægroto conſtitutio ejus hypochondriaca pariter ac obeſa. In yhpochondriacis pluribus enim obſervamus, quod communiter poſt paſtum aut motum corporis reſpirandi difficultatem patiantur. Etenim crudiori chylo ſanguini affuſo, & peregrino acriori humore ſanguini commixto, coagulationemque ſanguinis circa præcordia & vaſa pneumonica efficiente, circulationem æqualem turbante, ac tuſſim & anxietatem præcordiorum inferente, reſpiratio inſigniter ſufflaminari poteſt.

§. V.

Cum etiam hypochondriaci ab infarctis omnibus abdominis partibus flatibus, à cruditatibus progenitis miſere crucientur, diſtenſionem proinde & inflationem hypochondriorum neceſſario experiuntur. Accedit vero, quod inprimis inteſtinum Colon à flatuum copia expanſum & ventriculi fundo ſubjacens diſtenſione ſua ventriculum mucagine viſcida jam tum inquinatum non parum elevet, diaphragma plus debito ſurſum pellat, & ejusdem verſus inferiora motum impediat. Hincque videmus cauſam difficilis reſpirationis in aſthmate ſtomachali à motu diaphragmatis impedito,

pedito, productam, quam in præcedentis paragraphi initio adduximus.

§. VI.

Motum hunc diaphragmatis impeditum, & inde ſubſequentem difficultatem reſpirandi, utplurimum quoque experiuntur mulieres gravidæ, dum enim in majorem molem excrevit corpus, ac hypochondria extenduntur, conſequenter motus thoracis ſufflaminatur. Quid dicam de virginibus & mulierculis nitori & decori corporis nimium ſtudentibus. Anxie enim nonnullæ quadrata ſua corpora anguſtiſſimis ſtrophiis infibulare allaborantes, thoracis & ſimul diaphragmatis expanſionem ita coarctantes, ut ſæpius difficultate reſpirandi ſuperveniente intempeſtivum placendi ſtudium luere cogantur.

§. VII.

Quot vero quantaque in commoda obeſitas ac nimia corporis moles inferat, *Hippocrates* jam tum agnovit. Quoniam enim ex illa corporis denſitate viarumque anguſtia ſecretiones humorum impediuntur, & ſic veluti vi facta ſanguis reliquique humores per partes feruntur, vaſis compreſſis, nihil libere illis excidere poteſt, quo fit, ut plurimæ actiones lædantur, inprimis vero reſpiratio libera & motus. Obeſitas igitur ut & peregrinatio in aëre frigido cauſæ remotæ producti aſthmatis in noſtro ſubjecto eſſe poſſunt. A frigore enim pori tum inteſtinorum tum abdominis obſtruebantur, unde vapores tranſpirare non poterant, à quo venter inflatus & appetitus languidus factus eſt. Alvum inſuper deprehendimus ſicciorem

in

in noſtro ægroto, partim à lentore ſucci pancreatici & glandularum inteſtinalium, partim quod humores ſerumque ad pectus potius deponerentur. Urina turpida à depravata digeſtione deducenda eſt.

§. VIII.

Quod vero interdum fallere Medicum poſſit Aſthma ſtomachale, ita ut pneumonicum vel aliud pro ſtomachali ex diagnoſi non bene inſtituta judicet, curationemque minus convenientem adhibeat, ex Caſu noſtro innoteſcit; Ægrotus enim ipſe ex ingeſtis medicamentis multo imprimis ſacharo incruſtatis auctam mucaginem in ventriculo ut & ignorantiam Medici ex mala adminiſtrata curatione animadvertens, cauſam alibi quærendam & aliter exſtirpandam eſſe optime judicavit.

§. IX.

Quod ad prognoſin Aſthmatis ſtomachalis attinet; Equidem ex afflictis pluribus partibus nobilioribus, læſa reſpiratione & humorum intemperie citam ſalutem ægro ſtatim promittere minus tutum æque ac difficile foret, cum tamen non adeo periculoſum uti cætera aſthmata ſupra memorata, licet diuturnum ſit, ſpem aliquam revaleſcentiæ adhuc facere poſſumus; Quæ ipſa etiam in noſtro ægroto ſubſecuta eſt.

§. X.

In curatione proinde eo reſpiciendum, ut primo materia in primis viis hoſpitans evacuetur, quod fieri poteſt vel per vias ſuperiores exhibito vomitorio, vel per inferiores, porrecto medicamento purgante. Quod ipſum in ægroto noſtro inſtituimus. Abhorrebat enim

valde à vomitoriis, quapropter præmiſſo digeſtivo, largius decoctum ſaburram viſcidam ex ventriculo & primis viis ſenſim eliminans quotidie ſumendum ordinatum eſt. Materia enim nimis viſcida medicamento purgante una vice ſumto, licet fortiori, vix ſede ſua ceſſiſſet, potius malum auxiſſet catharſis fortior. Poſtea ventriculi ratio habenda, propinatis ſtomachicis aromaticis, quo etiam pertinent ea quæ conſtitutioni hypochondriacæ corrigendæ inſervire poſſunt, digeſtionem iterum reſtaurantibus, flatusque diſcutientibus, interpolatis inſuper pectoralibus & lympham corrigentibus, ut ita tuſſi moleſtiſſimæ & anxietati præcordiorum ſubveniatur.

§. XI.

In Diæta bene inſtituenda ægrotus fugiat aërem frigidiorem ac humidum, temperatus imo calidior potius eligendus. Cibi craſſum lentumque ſuccum procreantes, ut & acidi ſalſique omnino exulent, & contra cibus εὔπεπτος ſubſtituatur. Potus ſit defæcatus, vinum tenue in cœna concedendum, ut & mane Decoctum Thee, veronicæ, vel ſimile; Motus corporis, pro ut ægroti conditio permittit, diligenter inſtituendus. Alvus libera ſervanda. Somnum vero ex remiſſione tuſſis & hujus inſultibus ægrotus ſibi ipſi imperabit. Paſſiones animi vehementiores, uti in omnibus morbis plerumque nihil boni apportare ſolent, ſic & in noſtro eandem ludent ſcenam, inprimis exacerbationes & triſtitia. Cætera Deo committenda.

FINIS.

QVam docte ſcribens aliis meditare ſalutem,
Non ullo deſit tempore, quæſo, Tibi!
Perge bono fato languentibus addere vires,
Ut valeant alii, Tu quoque porro vale!

Hæc
Nobiliſſimo DN. Doctorando
L. M. Q.
adpoſuit

Io. Andr. Schmidt D. P. P.

GArdlia dum Medicum; Tuque accipis Artis Honores,
Gratulor atque Urbi, gratulor atque Tibi.

Præſes.

Diffi-

Difficiles, faciles, patitur Reſpublica morbos:
Sunt febres, peſtes, aſthmata, plena nece.
Corporis es doctus morbos propellere lentos,
Qui cauſas tectas ſcis mediumque mali.

Clariſſimo Denkero Doctori
Medico gratulatus ſcr.

Herm. von der Hardt
Præp. Mar. Ling. Or. P.